



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Disputatio VII. De secunda operatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

TRACTATUS III.

De Secunda & Tertia Operatione.

Secunda Operatio sicut ordine, ita & tractatione, precedet Tertiam.

DISPUTATIO VII.

De Secunda Operatione.

DE secunda Operatione tractando, multa intermittenda sunt, quæ circa Voces & Enunciationem adferri potius deberent, quam expendi. Videantur hæc apud alios. Ad difficiliora accedendo, sit

QUÆSTIO I.

De Proprietate Enunciationis, quæ est Veritas.

Missis illis quæ magis Dialectica sunt, agetur hic maxime de proprietate Operationum, quæ est Veritas.

DIFFICULTAS I.

Proponitur quid sit apud alios Veritas cognitionis.

Sunt qui constituent Veritatem in Relatione actus ad objectum; in qua sententia sunt Scottus & Vasquez saltem verbo tenus, quia quando ille, docet veritatem esse relationem rationis, intelligendus est quod velit illam esse denominationem extrinsecam ab objecto; quas denominationes ipse appellat relationes rationis, sed quidquid sit de mente illius.

DICENDUM est 1. *Veritatem seu conformitatem actus cum objecto non esse relationem rationis.*

PROBAT 1. Suarez Disp. 8. Metaph. Sect. 2. num. 8. Relatio hæc rationis non potest confingere, nisi supposito aliquo per modum fundamenti & termini, sed ex vi eius quod præsupponitur ad talem relationem, actus est verus; est enim conformis objecto: Ergo Veritas non est sita in isto ente rationis.

PROBAT 2. Hurtadus Disp. 2. de Anima. Sect. 3. Actus Dei erant ab æterno sine ulla fi-

atione, quæ involvitur in omni ente rationis: Ergo ratio communis Veritatis non est ab ista fictione desumenda; aliàs deberet ista fictio, & ens rationis competere divinæ veritati.

PROBAT 3. Arriaga Disp. 14. Logica num. 3. Propositionem esse veram nihil aliud est quam affirmare objectum sicuti ipsum est à parte rei, sed totum hoc datur ante ens rationis & fictionem intellectus: Ergo dabitur & veritas.

CONFIRMATUR. Supponamus in instanti. A. quo currit Petrus dicere Paulum Petrus currit: & in instanti B. dicere idem quando jam Petrus non currit: quo posito, ita arguitur. In instanti A, quo currit Petrus, vel poterat resurgere relatio falsi in illa propositione, vel non poterat: (idem dico de relatione veri: an illa scilicet resurgere potuerit in propositione quæ dicebat Petrum currere cum ille non currebat) si poterat relatio falsi resultare in propositione quæ dicebat Petrum currere cum currebat, ergo corrente Petro potest falsum esse illum currere, quod est manifestè falsum: si non poterat relatio falsi resultare cum Petrus currebat & dicebatur de illo quod currebat, ergo habebat prædicatū impossibile illa propositio, cum falsitate formali, est Veritas formalis, ergo antequam aliqua rationis relatio resultaret, habebat illa propositio veritatem formalem, quia habebat prædicatū impossibile cum falsitate formali.

DICENDUM 2. *Quod veritas non sit aliqua relatio realis.*

PROBAT 1. Suarez. Tum quia possunt esse cognitiones aliquæ veræ, & non habere relationem realem ad objecta, & ita cognitio cognoscens seipsum, cognitio item Dei cognoscens Deum, est cognitio & quidem formaliter vera, tamen propter summam identitatem, nec cognitio Dei ad Deum, nec cognitio sui ipsius ad se,

ad se, potest dicere relationem realem, Ergo apparet non esse veritatem formalem sitam in relatione reali. Deinde supponamus per impossibile impediri resultantiam relationis quæ apud Scotistas est res, adhuc actus esset verus, modo enunciet de objecto, quod importat ipsum objectum, esset enim cognitio adhuc Conformis objecto.

PROBAT 2. Hurtado. Tum quia actus divini sunt veri, sine ulla relatione per solam conformitatem cum objecto. Confirmatur. Ista relatio ut plurimum censetur esse Prædicamentalis, sed prædicamentalis esse non potest; quia relatio prædicamentalis debet esse inter terminos realiter existentes, sæpe autem est propositio vera formaliter, de objecto realiter non existente, immò & de impossibili.

PROBATUR 3. Argumento quod est propositum quarto Loco contra præcedentem Conclusionem.

RESPONDET Mastrius. Non dicere Divinam veritatem relationem realem ad objecta cognita, nam quod Deus cognoscit, est vel Deus vel Creatura. Si Deus, relationem ad se non dicit; si Creatura, non dicit etiam cognitio Divina ad illam relationem, quia nullæ dantur relationes reales De ad Creaturam. Dat insuper duplicem disparitatem Disp. 10. Log. q. 2. art. 3. num. 26. ostendens quare Cognitio Creatæ in ratione veræ constituatur per relationem realem, non dicat autem increata cognitio similem relationem. Quia scilicet cognitio Divina est infinita, illimitata, nostra autem cognitio est finita, limitata, adeoque etiam ab objecto dependens; si dependens ab objecto, relationem hoc ipso dicit ad objectum. Rursus cognitio nostra non est ita essentialiter vera ex sui natura, sicut cognitio Divina, non ergo necesse erit Divinam cognitionem dicere Relationem, quam dicit Creatæ.

CONTRA 1. est. Quia hæc doctrina supponit falsum, nullas scilicet dari reales relationes ad Creaturas, cuius oppositum docuimus; supponit item quod relatio sit Entitas realiter superaddita, quod etiam falsum est.

CONTRA 2. Ergo veritas formalis Divinæ cognitionis, nec Analogicè convenit cum veritate formali Creatæ cognitionis, cum tamen in hoc Scotista univocam convenientiam agnoscant. Illatum probatur, Prædicatum constituens rationem formalem veritatis creatæ, non participat veritas formalis cognitionis Divinæ; non participat enim rationem Relationis, quæ per Mastrium constituit veritatem in ratione formali Veritatis; ergo non conveniunt secum etiā analogicè, quia ad analogicam convenientiam, est necesse participare de eodem prædicato, licet non sine aliqua ratione differendi.

CONTRA 3. Divina cognitio licet sit infinita, debet tamen esse vera; ergo Divina cognitio

quantumvis sit infinita debet habere rationem formalem veritatis, quæ per Mastrium debet esse relatio, nec video quid prosit ad hoc infinitudo, ut cognitio dicatur vera, si non dicit relationem ad objectum, in qua statuitur è Mastrio veritas.

RESPONDET 2. Idem. Quod sublata relatione, & posita sola affirmatione objecti, illiusque ut affirmatur positione, solum erit propositio fundamentaliter non formaliter vera. Sed hanc responsum impugnavimus in materia de relatione in simili; An Relatio sit Res.

DICENDUM est 3. *veritatem non esse essentialem propositioni*. Est hoc specialiter contra Hurtado, & ejus sequaces, qui dicunt; veram propositionem habere aliquod prædicatum intrinsecum, specificum, & differentiale, per quod condistinguitur à propositione falsa.

PROBATUR 1. Auctoritate Aristotelis, qui in prædicamentis cap. de Substantia docet; Veritatem, & falsitatem, esse accidentalem propositioni.

PROBAT 2. Arriaga. Eo ipso quia affirmamus Petrum currere, currente Petro, nulla alia posita intrinseca & essentiali differentia in illa propositione, hoc ipso est formalissimè vera propositio: quia propositionem esse veram de cursu Petri, est propositionem affirmare cursum Petri, & ipsum cursum dari à parte rei; Ergo veritas non consistit formaliter in aliquo prædicato essentiali propositionis.

CONFIRMATUR hoc idem. Quia si propositio vera includeret aliquod prædicatum essentiali, quod non includeret falsa, posset Angelus certò cognoscere omnia futura, quod negant Theologi. Sequela probatur, quia in hac propositione. Petrus peccabit, videret aliquod prædicatum intrinsecum constituens propositionem hanc in ratione veræ, quod non videret in propositione quæ diceret; Petrus non peccabit; ergo cognosceret verum esse, quod Petrus esset peccaturus.

RESPONDETUR huic argumento. Angelum si deberet comprehendere hanc propositionem veram ut veram, debere inquam prius cognoscere futuritionem peccati, quam quia non agnoscit, nec actum illum ut verus est cognoscit.

CONTRA est ex Arriaga. Non est necesse futuritionem ipsam peccati prius cognoscere; quia ille ipse actus, informaret de illa futuritione; ad eum planè modum, quo non est necesse, ante cognitionem materiæ, quæ dicit respectum essentiali ad formam, non est inquam necesse prius in se præcognoscere formam, sed ex ipsa materia cognita, potest deveniri in cognitionem formæ: ita ex ipso actu cognito, deveniretur in cognitionem futuritionis peccati.

RESPON-

RESPONDETUR II. Angelo sicut non debetur concursus ad cognoscenda futura, ita nec ad penetranda ista objecta, ex quibus certò futura cognosci possunt.

CONTRA ex Arriaga. Angelus cognoscit possibilia hæc esse iudicia. Petrus peccabit, Petrus non peccabit, cognosciturq; unam propositionem intrinsecè habere prædicatum, quod ostendat illam esse veram; ergo cognoscit quod sit peccaturus vel non.

Hac ratione non est contentus Oviedo; eò quòd dicat, Angelum in iudiciis istis possibilibus non posse verum à falso discernere. Sed omnino immeritò. Quæro potestne Angelus cognoscere & formare istam propositionem: Petrus peccabit, & istam propositionem? Petrus non peccabit? si non potest, quæ hujus ratio? si potest, ergo poterit cognoscere etiam prædicata intrinseca hujus propositionis, consequenter etiam veritatem.

PROBAT III. eandem Conclusionem Oviedo. Quia Hurtadus id nec consequenter, nec verè docet; non docet consequenter: quia per illam similitudinem consistit, in utroq; extremo, & non in uno tantum; ergo & conformitas, sive veritas, non in sola cognitione: sed & in objecto, stare debuit; Non docet verè: quia hæc propositio Petrus currit, potest sua omnia intrinseca habere, sive corrente, sive non corrente Petro, & objectum cum sæpe non existat, non potest Physicè influere in actum, nec potest moraliter influere: quia nullum est hujus moralitatis fundamentum: & quia posset aliàs Deus, hanc propositionem; Petrus currit, producere, cum intrinseca perfectione veritatis, etiam si Petrus non sit cursurus.

CONFIRMATUR. Supponamus hodie currere Petrum, & dici de illo, Petrus currit, supponamus deinde, cras non currere Petrum, & tamen dici de illo: Petrus currit; quæ hodierna propositio, comparata ad crastinam, vel habet aliquod intrinsecum prædicatum, quod non habet crastina, vel non habet; si non habet, ergo propositioni hodiernæ veræ, non est intrinsecum prædicatum veritas, neq; propositio vera vel falsa intrinseco distinguitur; si habet, rogo quòd illud, & cur eadem in entitate heri, & cras durare non possit; sicut est eadem entitas hominis cras & hodie durantis. Unde etiam urget sic Mastrius. Si propositio ex natura sua essentialiter esset vera vel falsa, sequeretur hanc propositionem Petrus currit, non corrente Petro, dicere ordinem essentialem, ad duo contradictoria, quòd est falsum. Sequela probatur. Diceret enim ordinem essentialem illa propositio ad cursum Petri, affirmat enim quòd currat Petrus, & diceret ordinem essentialem ad negationem talis cursus, quòd ipsum probatur: ut enim sit falsa hæc propositio Petrus currit, debet affirmare & cursum Petri, & carentiam ipsius. *In*

Oppositum

Rationes, quòd Veritas sit Relatio.

OBJICITUR I. Quòd pendet à termino, illud est relativum, Veritas pendet à termino; quia sicut mutato termino mutatur relatio, ita mutato objecto, mutatur veritas vel falsitas.

RESPONDETUR. Quòd pendet à termino in quantum pendet à termino, est relativum, secus si habeat formalitatem non pendentis: jam autem invenitur quidem relatio quædam, ex conformitate actus ad objectum resultans, cæterum veritas hæc, non in ista relatione consistit, sed in fundamento præcedente relationem.

OBJICITUR II. Veritas non est de essentia actus, ergo est ejus accidens, sed non est accidens absolutum, ergo est accidens relativum.

RESPONDETUR. Negando quòd veritas non sit accidens absolutum; nam etiam fundamenta relationum dicuntur absoluta, licet ex hoc fundamento, quòd est veritas, pullulet postea relatio. Alii dicunt quòd veritas, sit accidens Logicum, relativum consequenter, non verò relativum primariò.

OBJICITUR III. Veritas nihil aliud est, quàm conformitas quædam, Conformitas est quid relativum; est enim similitudo & convenientia &c. ergo & veritas.

RESPONDETUR. Confirmatorem esse quid relativum, consequenter non primariò, primariò enim veritas dicit radicem conformitatis, quæ est quid absolutum.

INSTABIS. Veritas est assimilatio cum objecto eaq; realis, assimilatio autem est ordo realis, ad terminum.

RESPONDETUR. Veritatem esse radicem illius ordinis & fundamentum, adeoq; non esse nisi quid consequenter relativum.

Pro Parte afferentium Veritatem esse Prædicatum intrinsecum.

OBJICITUR I. Hurtadus. Iste actus: Petrus est homo, per suam essentiam est representans Petrum sicuti est, Petrus enim est homo & representatur ut homo; ergo ille actus, per suammet essentiam, est representatio Petri sicuti est, ergo & per suam essentiam, est formaliter verus.

RESPONDETUR. Iste actus: Petrus est homo, per suam essentiam positam in circumstantia Petri ita se habentis, & in obliquo importati, est representatio Petri sicuti est, Conc. Antec. Iste actus: Petrus est homo, per suam essentiam, hoc est non ex vi connotati extrinseci, est representatio Petri sicuti est, Nego Anteced. hoc ergo solum sensu, actus ille per suam essentiam representat Petrum, quia veritas non est res, aut aliqua entitas modalis superaddita, sed nò in hoc sensu dictus actus per suam essentiam representat Petrum sicuti est, quasi habeat id ex aliquo intrinseco, & non ex mera connotatione. Confirmiter ad Connotata dici potest, quòd scilicet actus

† Q 9

actus per suam essentiam sit representatio obiecti sicuti est, in quantum representatio sumitur pro eo, quod dicitur pro subiecto, pro intrinseco, & in recto; licet actus non per suam essentiam sit representatio, in quantum representatio dicitur aliquid pro connotato.

OBJICIT II. Idem. Actus per suam essentiam vel assimilatur obiecto, vel non, si assimilatur, ergo per suam essentiam est formaliter verus, si non assimilatur, ergo per suam essentiam, est formaliter falsus.

RESPONDETUR. Simile esse hoc argumentum. Petrus vel per suam essentiam est albus, & sic albedo non erit accidens, vel per suam essentiam non est albus, adeoque nunquam poterit dealbari. Directe autem dici potest; quod non assimilatur per suam essentiam actus obiecto; inde tamen non est arguendum, quod per suam essentiam sit falsus, quia non licet à termino negativo argumentari ad positivum, quale positivum, est falsitas; alias bona esset hæc illatio: hic paries non est albus per essentiam, ergo est niger per essentiam. Dici etiam potest quod actus assimilatur obiecto per suam essentiam, secundum id quod dicitur assimilatio in Recto.

INSTAT Idem. Actus in Ratione veri, non dicit majorem dependentiam ab obiecto, quam in ratione representantis; sed in ratione representantis constituitur per solam suam essentiam, intrinsece connotando obiectum, ergo & in ratione veri.

RESPONDETUR. Concesso subsumpti Antecedente, negatur consequentia. Actui enim intellectus esse representativum est intrinsecum prædicatum, si enim Actui Intellectus seu mentis, non est quid extrinsecum, esse verbum mentis, ita nec erit extrinsecum, esse representationem, ita ut ipsa Natura Intellectionis, penetratâ, hoc ipso penetraretur, Representatio obiecti. Jam autem nullum est tale prædicatum intrinsecum Actui, quo penetrato, sit devenire in cognitionem, quod ille Actus verus sit.

OBJICIT III. Idem. Veritas est intrinseca actui, ergo non includit obiectum.

RESPONDEO. Veritatem secundum id, quod dicitur in recto, esse intrinsecam actui, non secundum id, quod dicitur in obliquo. Unde distincto Antecedenti Nego Consequentiam.

INSTAT primo. Veritas est perfectio actus, ergo extrinsecum quid actui esse non potest.

RESPONDET Arriaga, Veritatem esse perfectionem actus, non secundum se totam, sed secundum quod est actus.

RESPONDET Oviedo Negando Consequentiam, quia multa sunt extrinseca, quæ tamen sunt perfectio alicujus, arguuntque intrinsecam illis perfectionem.

RESPONDERI denique potest, distinguendo consequens, Ergo veritas extrinseca esse actui non potest, id est non debet esse exigens aliquid

extrinsecum ad suam denominationem & formalitatem; Nego Consequentiam; ergo extrinsecum esse non potest actui, id est non debet esse quid supra ipsum actum, entitativè superadditum. Concedo Consequentiam. Et certe esse verum, non absimili omnino modo habet se in sua perfectione, sicut esse conservatum, & sicut esse conservatum est perfectio pendens ab aliquo extrinseco, hoc est Deo conservante, quantumvis, conservatio rei conservatæ, non sit Entitas superaddita, ita & veritas.

INSTAT II. Si veritas constitueretur ex Actu & Obiecto, veritas hujus propositionis Petrus, non currit, consisteret in aggregato ex Actu & Negatione cursus: Falsitas autem consisteret in aggregato ex Actu, & Cursu Petri, & Actu de cursu Petri, quam aggregatum ex Actu, & Negatione cursus. Ergo perfectior esset falsitas quam veritas.

RESPONDET Oviedo: Aggregatum illud quod importat ille actus falsus secundum se, est perfectius, tamen in ordine ad Obiectum circa quod versatur, & Actum quem denominat, est illud aggregatum omnino imperfectius: Falsitas enim est imperfectio actus.

OBJICITUR IV. Veritas Divina quæ me Deus cognoscit existentem, est perfectior veritate Creatæ, quæ ego cognosco Deum existere, sed non esset perfectior, si ex actu & obiecto constitueretur veritas: quod probatur: utraq; veritas coalesceret ex Deo & me, ergo utraq; esset æqualis, ergo una non esset perfectior aliâ.

RESPONDET Arriaga, veritatem creatam, quæ cognoscit Deum esse, & veritatem increatam, quæ cognoscit Creaturam esse, non esse veritates æque perfectas, in ea ratione quam in Recto important, veritas enim creatæ importat in Recto actum creatum, veritas autem increatæ importat cognitionem Divinam increatam, licet quoad id quod dicitur utraq; tam in Recto quam in Obliquo non sit una perfectior aliâ, utraq; enim importat Deum & Creaturam.

INSTABIS. Si veritas non esset, intrinseca actui, non esset unde Deo repugnaret falsitas, quia etiam si Deus haberet propositionem falsam, adhuc illa esset tã perfectæ intrinsece, quam est perfectæ vera cognitio, quia utraq; diceret cognitionem in Recto Divinam, defectibilitas autem illa, quam adfert falsitas, esset extra Deum; ergo non esset unde falsitas Deo repugnaret.

RESPONDET Arriaga. Ex eo tantum repugnare Deo falsitatem, quia argueret, in Deo imperfectionem, ignorantiam & defectum Cognitionis evidenter.

RESPONDERI potest & aliter quod scilicet, etiam si cognitio Divina sit formaliter vera, ab existentia obiecti, habet tamen radicalem exigentiam veritatis, cui exigentiæ contrairer falsitas, & quidem contrairer, tantumquam

quam alicui intrinseco in Deo, hæc enim existentia, est intrinseca perfectio Dei.

OBJICITUR V. Bonitas Actuum est sita in ipso Actu, non verò in Objecto. Ergo & veritas, est sita in solo Actu.

RESPONDETUR I. quòd scilicet bonitas actuum Physica, sit sita in ipso actu, non verò bonitas Moralis.

RESPONDERI potest II. Disparitatem esse, quia scilicet bonitas Actuum non pendet ex Objecto, idq; ex eo, quia circa Objectum bonum, si reputetur esse prohibitum, & tamen ametur à voluntate, erit actus malus, & circa objectum malum, si reputetur bonum, erit actus bonus. Ergo apparet bonitatem actus, à bonitate objecti, non pendere; jam autem si ita se habeat objectum, & intellectus non iudicet ita se habere, hoc ipso, erit actus falsus, Ergo apparet falsitatem pendere ab objecto.

INSTABIS. Amor Dei circa Creaturas, non constituitur in ratione boni formaliter, per ipsas Creaturas sed per seipsum; Ergo & actus Dei verus.

RESPONDETUR. Adferendo disparitatem supra adlatam.

OBJICITUR VI. Si objectum esset pars veritatis, posset ipsum objectum dici verum, quàm potest dici verus ipse actus, sed hoc est absurdum, ergo & illud. Minor probatur; quia actui soli competit formaliter esse verum. Major probatur. Quia quando denominatio ab utroq; extremo sumitur, tunc illa denominatio æquè primò utriq; convenit ut pater in ratione similis, æqualis, &c.

RESPONDETUR. Negando sequelam, & certè Relatio Creatoris in Deo, requirit Creaturam, & tamen Creatura, Creator dici non potest; ergo & actus verus potest exigere objectum, & tamen ipsum objectum potest non appellari formaliter verum. Porro tunc denominatio sumpta à duobus extremis, denominat æquè utrumque primò extremum, quando ipsa extrema sunt ejusdem rationis, in illo genere: diversæ autem rationis extremum est, Actus, & Objectum.

OBJICIT. VII. Si veritas defumeretur ex actu & objecto, sequeretur quòd si Objectum esset Ens Rationis, veritas esset partim realis partim Ens Rationis. Si item objectum sit futurum vel præteritum, veritas illius esset partim præterita partim præsens.

RESPONDEO Negando sequelam. Ratio negandi est, quia denominatio veri, sumitur principaliter ab ipsa entitate actus, quæ entitas actus, quia non est ens rationis, idè nec actus verus erit partim ens rationis, partim præteritus. Potest hic etiam esse questio de voce, quia si dixeris, idè actum verum esse ens rationis, quia habet pro objecto ens rationis benè senties, sed phrasis hæc non consentiet communi sermoni: Quando verò dicitur objectum esse mensura

actus veri, adeoq; quòd inde debeat non esse constitutiva actus veri? respondendum erit: ex modo nostro significandi, objectum esse mensuram actus veri, non verò de se, ut superius dixi. Addo multas ex his objectiones hoc urgere, quòd Actus verus, non componatur objecto tanquam parte, quod etiam nos asserimus.

DIFFICULTAS II.

Proponitur tenenda Sententia.

DICENDUM est I. *In re nihil aliud esse veritatem, nisi hæc duo, Actum & Objectum, ita se habens, ut dicit Actus.* Probandum est, iisdem rationibus, quibus probatum, in re, nihil aliud esse relationem, nisi duo absoluta.

DICENDUM II. *Conceptum Veritatis formalis, unum dicere in Recto, hoc est ipsum actum intellectus, & aliud dicere in Obliquo, seu pro Circumstantia, Connotato, hoc est ipsum objectum, ita se habens.* Hanc eandem Conclusionem aliis verbis docet Suarez, disp: 8. Sect. 2. n. 9. Veritas cognitionis, ultra ipsum actum, nihil addit reale, vel intrinsecum, sed connotat solum objectum, ita se habere, sicut per actum repræsentatur.

PROBAT Suarez. Actum esse verum plus dicit quam esse actum, & tamen non dicit aliquid reale absolutum, vel relativum ultra ipsum actum, ergo esse verum nihil aliud addere potest, nisi connotationem, seu denominationem consurgentem, ex tali conjunctione actus & objecti.

CONFIRMAT Idem. Mutato objecto, mutatur Veritas cognitionis, & tamen non mutatur Intrinsecum cognitionis, ut supra probatum, sed tollitur tantum, seu potius mutatur objectum. Ergo veritas, est ipse Actus, importans Objectum.

OBJICIT. Arriaga, & supponit propositionem hanc naturaliter elicitam: Antichristus erit, esse veram, sicq; argumentatur: Illa denominatio intrinseca, non provenit ab entitate propositionis dictæ, invariata enim illa propositio, poterit esse falsa, si fortè Antichristus non sit futurus, neq; provenit ab Antichristo futuro, quia hic, tam nihil est defacto, quam si non esset futurus.

RESPONDETUR. Illam denominationem veri in Recto, esse ab ipso subjecto veritatis, hoc est ab ipsa propositione; in quantum autem hæc denominatio, postulat intrinsecè aliquid connotatum, in tantum ab objecto proveniet; benè autem id, quod se habet tantum per modum termini, & connotati, potest connotare aliquid, quantumvis actu non existat, ut patet in Relatione transcendentali, quæ in omnium sententia potest connotare (saltem aliqua) terminum possibilem. Dicit etiam potest, pro hac

† Q9 2 diffe-

differentia temporis, quæ nunc est, nihil esse Antichristum, sed pro differentia temporis, cui ille est coexistens, tam verè est Antichristus, quàm si nunc defacto esset, ratione quæ huius coexistentiæ potest denominare propositionem veram.

INSTAT idem. Denominationem veri, obiectum non existens, neque tribuere potest formaliter, neque efficienter; non efficienter, quia quod non est existens, efficere ne quidquam potest, neque tribuit hanc denominationem obiectum non existens formaliter, quia forma, non dat suum effectum, nisi quando existit.

RESPONDETUR. Tribuit denominationem hanc, obiectum formaliter, hoc est terminativè, quia scilicet terminat illum actum, secundum id esse, cui conformatur actus.

DICENDUM est III. *Possè à nobis concipi veritatem, per modum pullulantis formalitatis, ex radicali illa conformitate.*

PROBATUR id, argumentis, quibus in simili actum est de Relatione.

ADDO I. Sunt aliqui actus naturales, ita necessarii veri, ut non possint esse falsi, idque ex necessitate obiecti: hæc enim propositio: homo est animal; est ita vera, ut nec divinitus possit esse falsa, idque ideo, quia nec Deus facere potest, ut homo non sit animal.

ADDO II. Sunt aliquæ propositiones ita falsæ, ut nunquam veræ esse possint, & ita hæc propositio: homo est hirco cervus, est ita falsa, ut nunquam possit transire in veram, hocque est commune omnibus propositionibus, in materia necessaria, & impossibili, quod scilicet veritas illarum, vel falsitas, nunquam mutari possit.

ADDO III. Propositiones, quæ significant determinatè aliquod instans, nunquam possunt de veris in falsas, de falsis in veras transire, respectu ejusdem instantis.

RATIO est I. Ex Arriaga. Implicat obiectum, quod semel pro aliquo determinato tempore existit, aut existiturum est, pro illo non existere, aliàs, simul existeret, & non existeret, ergo etiam implicabit, propositionem affirmantem, v.g. cursum Petri, pro instanti A, quæ fuit semel vera, mutari in falsam, respectu ejusdem instantis. Probatur consequentia; quia repugnat mutari, de vera in falsam propositionem, siue mutatione obiecti.

RATIO II. A propositione potest affirmari tempus tripliciter. 1. Indeterminatè, v.g. dicendo Petrus currit, vel nunc, vel nunc, & sic propositio semper est, vel vera, vel falsa. Si enim quocumque vel uno instanti currat, verum erit illum currere, quod si nullo instanti ex dictis currat, erit falsa. 2. Potest tempus significari collectivè, dicendo v.g. Petrus currit, & subintelligendo, quod omni instanti currat, & sic, si vel uno instanti non currat, falsa erit propositio, si omnibus currat, vera erit. 3. Potest

tempus v.g. significari determinatè, pro illo primo instanti, quo profertur, & sic respectu huius instantis, etiam tempore transacto, vera erit & ita v.g. si dicatur, Petrus currit in instanti A, producaturnque hæc eadem propositio, ad instans B, etiam in instanti B, verum erit dicere, quod pro instanti A, currit Petrus.

RATIO III. est. Quia in quantum talis propositio redderetur falsa, intantum non respiceret jam determinatum instans. Ergo. Ceterum videndum restat: an non aliquo modo, possit una propositio, de vera, in falsam transire.

DIFFICULTAS III.

Quomodo una Propositio de vera possit transire in falsam.

DICTUM immediate supra, quod propositio, respectu ejus instantis, quid importat, semper sit & immutabiliter talis, ut nunquam de vera in falsam transire possit, nihilominus, quia potest fieri adhuc comparatio ad diversum instans, *Hinc*

DICENDUM est. *Propositiones quæ significant determinatè aliquod instans si comparentur ad diversum instans, possunt esse v. g. falsæ, quantumvis respectu aliis instantis, sint veræ, & è contra, & in hoc sensu, possunt dici Propositiones de veris, transire in falsas.*

PROBATUR I. Auctoritate Aristotelis in Prædicamentis: Cap: de Substantia, & S. Thomæ, prima parte, quæst. 14. ar. 15. ad tertium, assertentium, propositionem de vera, posse transire in falsam; quem locum explicat quidem Arriaga, quod scilicet possit esse propositio omnino similis falsæ, vel quod erit illa propositio non nisi externa: quæ explicatio ut impugnetur:

PROBATUR II. Suppono non implicare Contradictionem, ut idem entitativè actus, pluribus instantibus duret, immò hanc durationem, ejusdem in entitate Visionis beatæ, nihil vetat admittere, hocque suppositum Probatur per negativum medium terminum, quia in hoc nulla est contradictio. Supponamus ergo Petrum currere pro instanti A, dicaturque Petrus currit, vera erit Propositio. Supponamus deinde Petrum non currere, in instanti B. durante tamen eodem actu numero, certè hæc propositio, comparata ad instans A. erit vera, comparata ad instans B. erit falsa, quia erit difformis obiecti.

CONFIRMATUR. Ista propositio: Hoc currrens, est animal rationale, si comparetur ad Petrum currentem vera erit, si comparetur ad Equum, falsa, ergo etiam respectu diversorum instantium, propositio, quæ comparatè ad unum instans est vera, potest respectu diversi instantis, esse falsa.

PROB. III. Argumento, cujus etiam meminerunt Arriaga & Oviedo. Quando ego dico: Homines qui sunt in foro currunt, si Petrus est in foro, illum

illum significat, si Joannes illum etiam, si verò non fuisset Petrus, & Joannes, sed Paulus, illum etiam significaret; hoc posito: formatur argumentum. Eadem propositio est indifferens, ad significandum, vel hoc, vel illud objectum, ergo & ad significandum hoc vel illud instans, ergo poterit mutare significationem, ergo ulterius in uno instanti, poterit significare instans A. in altero instans B. esseq; vera, respectu instantis A. non verò respectu instantis B.

RESPONDET Arriaga, dictæ propositionis esse sensum conditionatum, æquivalere enim huic; si Petrus est in foro currit, si Paulus, currit &c. Consequenter eodem significat, & eodem modo conditionatè, quantumvis determinatè nonnisi de Paulo verificetur, si ille sit in foro, non verò Petrus.

CONTRA. Tum quia propositio illa conditionata, potest transire ex determinatè significante Petrum, in non significantem determinatè Petrum, sed Paulum; ergo etiam potest transire, ex significante verè hoc instans, in significantem falsò aliud instans. Tum quia hujus conditionalis sensus appingendi nullum est fundamentum, aliàs, quas cunq; absolutas enuntiationes, possemus dicere conditionatas; additq; Oviedo: si illa propositio faceret sensum conditionatum, nullo existente in foro, posset esse vera, quia conditionalis, non fit ex eo falsa, quòd conditio illius, non sit impleta. Tum quia etiam illius propositionis, quam dicimus comparatè ad unum instans esse veram, comparatè ad aliud, falsam; dicam etiam sensum esse conditionatum; si comparatur ad illud instans, poteritq; substitui unum instans pro alio instanti ad falsificandam propositionem, sicut substituto Paulo, pro Petro, ut concedit Arriaga, falsificabitur propositio.

RESPONDET II. Oviedo. Hujus propositionis: Homines qui sunt in foro, currunt, sensus est. Aliqui homines sunt in foro & hi quicunq; illi sunt currunt, quo sensu posito, non sequitur, propositionem non esse determinatam, ad hunc, quàm illum significandum, sed tantum esse indifferenter, ut de hoc, vel illo, verificetur. Docetq; ulterius, quod scilicet propositio; Aliquis homo currit, non sit indifferens, ad diversas significationes, sed tantum ad diversas verificationes.

CONTRA. Dicta propositio, ut conceditur, est indifferens ad diversas verificationes, neq; est determinata ad unam verificationem, ergo etià & hæc propositio, Petrus currit, non est ita determinata ad instans A. quo currit, ut non possit referri ad instans B. quo Petrus non currit, adeoq; falsificari. Deinde Propositio hæc; Petrus currit, prolata in instanti, A. in quo currit, si in illa duretur ad instans B. quo non currit, vel significabit cursum Petri, ergo significabit falsò, adeoq; de vera transibit in falsam, vel non significabit: & hoc non potest dici, cum defacto ipsa propositio id habeat.

Deniq; verificatio propositionis, & significatio, indissolubiler secum junguntur, ergo si propositio hæc, Aliquis homo currit, est indifferens ad verificationem, erit etiam indifferens ad significationem. Videantur dicta in materia de Præcisionibus objectivis in Divinis in simili.

RESPONDERI Potest III. Propositionem hanc: Petrus currit, prolata in instanti A, quando est cursus Petri, si proferatur in instanti B, quo non est cursus Petri, non esse mutandum de vera in falsam, quia etiam in instanti A, si comparatur ad instans B, erit falsa, consequenter nò transibit de vera, in falsam, sed sicut ab initio erat respectu instantis B. falsa, ita, & in instanti B, respectu ejusdem instantis, est falsa.

CONTRA est I. Quia hæc Responsio est prævisa à Conclusionem, quia scilicet in isto tantum sensu admittimus propositionem, de vera, posse transire in falsam, quia scilicet hæc propositio, quæ respectu certi instantis, est vera, comparata ad aliud instans, potest esse falsa, quidquid sit, quòd non possit dici, rigorosè transire de vera in falsam, idq; ob rationem in responsione adlatam, potest tamen aliquo modo dici transiens transitu Logico, & ex modo concipiendi, quia videlicet, non stat in sola sua veritate, vel falsitate, sed ratione distincti instantis, ab extremo, ad extremum venit.

CONTRA II. Successivè illud objectum quod est cursus Petri, factū est falsum, quia successivè desit cursus Petri, qui erat, Ergo & propositio, quæ dicit: Petrus currit, facta est falsa successivè.

CONTRA III. quia propositio, quæ significat determinatè instans A, si per impossibile significaret instans B. redderetur falsa. Ergo etiam si comparatur ad instans B, debet dici, quòd ex vera fiat falsa.

OBJICITUR. Si Propositio hæc; Petrus currit, determinatè significans instans A, in quo est cursus Petri, censeretur esse falsa, si comparatur ad instans B. in quo non est cursus Petri, sequeretur nullam dari propositionem absolute veram, sed hoc est absurdum, Ergo. Sequela probatur inductione: hæc propositio. Petrus dormit, orat, peccat, comedit, &c. sunt veræ, ratione alicujus instantis, & respectu alijs instantis, sunt omnino falsæ. Ergo nulla datur propositio absolute vera.

RESPONDETUR. Negando Sequelam, & probationis ejus consequentiam, propter insufficientem enumerationem, ceterè enim hæc propositio, homo est animal rationale, respectu nullius instantis est falsa, in nullo enim instanti est homo, in quo non sit animal rationale.

INSTABIS. Etiam hæc propositio, homo est animal rationale, respectu bovis est falsa, ergo nulla daretur absolute vera.

RESPOND. Hæc propositio, homo est animal rationale, respectu bovis, neq; est falsa, quia prius est propositione esse significativam, postea

† Qq 3 veram

veram vel falsam, prius est propositionem supponere Objectum, quod importat, & postea verè vel falsò supponere, cum ergo ista propositio, homo est animal rationale, nec supponat, pro bove, nec illum significet, respectu ejus, falsa non erit. Deinde alia est omnino ratio de hac propositione, Petrus currit, si dicatur in instanti B. quo ille non currit, cum tamen curreret, in instanti A, & aliud est, de hac propositione, homo est animal rationale comparata ad bovem, quia hæc Propositio, Petrus curret, in omni instanti, significat, & Petrum & cursum, hæc autem propositio, homo est animal rationale, in nullo instanti, significat bovem.

QUÆSTIO II.

De veritate in particulari Propositionum absolutarum.

Maxima hinc erit Difficultas circa propositiones de futuro, de quo

PRÆMITTO I. *Quid sit futurum.* quod bene definit Hurtado disp. 9. Anim. Sect. 6. Subsect. 1. idq; ad mentem S. August. Futurum est existentia rei, in instanti sequenti, connotando carentiam sui in instanti præsentis, ly sequenti non accipiendi tantum pro immediato.

PRÆMITTO II. *Divisionem futuri.* Futurum aliud est Necessarium, aliud Liberum. Futurum Necessarium est, quod profisciscitur, à Causa ad agendum determinata, ubi fuerint posita prærequisita ad agendum, & ita v.g. ignitio stipula, ubi ei fuerit approximatus ignis, est Futurum Necessarium. Futurum Liberum, est futurum quod profisciscitur à Causa, quæ positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere, & non agere, & ita Petrus cantabit, Petrus peccabit, &c. sunt talia Futura Libera.

PRÆMITTO III. *Rursus hoc futurum Liberum aliud est Absolutum, aliud Conditionatum.* Futurum est absolutum v.g. Petrus peccabit. Futurum Conditionatum est v.g. Petrus, si ingressus fuerit atrium Pontificis, peccabit. Agemus hinc de Veritate hujus utriusq; futuri liberi, Theologis merè Theologica relinquendo.

DICENDUM est, quod Futura absoluta libera habeant determinatam veritatem, est conclusio Catholica Contra Aristot. 1. Perier. C. 6. qui dicit, ex his propositionibus, omnis homo curret, aliquis homo non curret, esse determinatam Veritatem vel falsitatem; sed in his propositionibus singularibus, Plato curret, Plato non curret, dicit non esse determinatam veritatem, sed solum in sensu disjuncto, id est quod sit vel cursum vel non cursum. Consequenterq; errabat, negando Deo Scientiam singularium propositionum, de futuro Libero.

PROBAT I. Hurtado. Id quod erit, determinatè erit, ergo futurum est determinatè, ergo

& verum est determinatè. Antecedens probatur, quod produceretur extra suas causas, erit determinatè; Causæ enim nihil indeterminati producant, sed id quod erit, produceretur extra suas Causas, ergo id quod erit, erit determinatè. Consequenter Imi Enthymematis probatur, quod erit determinatè, futurum est determinatè, sed id, quod erit, erit determinatè, ergo id quod erit, futurum est determinatè.

CONFIRMAT I. Hurtado dialecticè. Supponamus hanc propositionem esse falsam. Omnis homo curret, vera erit per Aristotelem hæc contradictoria, aliquis homo non curret, quo posito ita arguit. Hæc propositio, Aliquis homo non curret, vera erit etiam si reliqui cucurrerint, & unus forte non curret, ergo si illa propositio, Aliquis homo curret, est vera determinatè ratione Sortis, etiam hæc propositio, Sortes curret, erit determinatè vera, cum utrobique idem dicatur, unde dicit Hurtado Aristotelem contra Sumulas, contra Philosophiam, contra Theologiam naturalem, circa hanc materiam errasse.

PROBAT II. Arriaga. Quantumvis Petrus sit indifferens ad peccandum, vel non peccandum, accedente tamen instanti crastino determinatè faciet unum ex illis, neque enim datur medium inter hoc, quod est peccare, & non peccare: ergo ulterius, Propositio quæ affirmabat eum peccaturum, fuit determinatè vera, quia ita existit objectum tempore importato per copulam, sicut per ipsam propositionem enuntiatum fuit.

CONFIRMAT idem sic. Vel enim peccatum Petri nunc est determinatè futurum, vel non; si est, ergo etiam verum erit nunc affirmare illud; si verò nunc non est determinatè futurum, ergo propositio affirmans esse futurum, erit saltem determinatè falsa.

PROBAT III. Oviedo Communi argumento. Petrus curret, Petrus non curret, sunt Contradictoria; sunt enim affirmatio & negatio ejusdem, de eodem; ergo una debet esse vera, altera falsa.

CONFIRMATUR ex eodem. In instanti quo Petrus currit, verum est dicere; Petrus currit, ergo & heri, respectu hujus instantis, verum erat dicere, Petrus curret: idem enim affirmaretur.

OBJICIT I. Aristot. Si determinatam veritatem haberent singularia futura libera, cognosceret illa Deus: Sed non cognoscit, ut probat, quia si Deus cognosceret hanc Propositionem, Sortes curret, tolleretur libertas Sortis in cursu; sed non debet tolli, Ergo. Sequela probatur, necessario jam curreret Petrus, esset enim determinatè verum illum cursum, Ergo.

RESPONDETUR. Negando Minorem Probationis. Nego sequelam majoris, cum sua probatione: illam verò propositionem, Esset determinatè verum illum cursum, Distinguo, Esset verum determinatè, determinatione orta ex sup-

poli-

positione antecedenti, Nego Probationem, determinatione orta ex suppositione consequenti, concedo hanc probationem; consequentia autem absolute negatur. Explicui hanc distinctionem fusè in materia de libertate actuum humanorum in Ethicis, & in Materia de Prædeterminatione, in prima parte. Nunc breviter dico, alia est suppositio & necessitas antecedens, alia consequens. Suppositio Antecedens, est necessitas orta ex causa determinante ad effectum: qualis est necessitas in igne, ad ponendam ignitionem, si fuerit adnota stipula. Alia est necessitas orta ex suppositione consequenti, quæ est necessitas orta ex ipsa actione, seu effectu: qualis est necessitas, quia currentem impossibile est non currere, sedentem item impossibile est non sedere. Hæc secunda suppositio non tollit libertatem, reperiturque in futuro libero.

INSTABIS I. Cujus Antecedens est necessarium; ex 1. Poster. tex 17. Sed hoc Antecedens Deus peccatum Petri præscivit, est necessarium, ergo & consequens est necessarium, nempe peccatum Petri.

RESPONDETUR. ex S. Thoma 1. parte q. 13. quod cujus Antecedens est necessarium, illius & consequens sit necessarium, eo modo necessitas quo & antecedens est necessarium; sed non alio modo necessitatis; hoc autem antecedens quod est cognitio peccati futuri, est necessarium necessitate consequenti, seu necessitate orta ex suppositione peccati, non verò est necessarium necessitate antecedenti; non enim ideo est futuritio peccati, quia præscitur peccatum, sed ideo præscitur, quia est illius futuritio.

INSTABIS II. Ante omnem positionem effectus liberi futuri, antecedit scientia Dei, ergo illa tolleret libertatem.

RESPONDETUR. Ante omnem positionem effectus liberè futuri, antecedit Scientia Dei tempore seu duratione, ab æterno enim Deus habet illam scientiam; sed non antecedit causalitate, non enim ut dixi ideo peccatum est futurum, quia noscitur futurum.

INSTABIS III. Ego non possum facere, ut non sit scientia DEI de peccato futuro, ergo neque possum facere, ut positâ illâ scientia non sit peccatum.

RESPONDETUR. Ex suppositione consequenti, seu quod jam me determinârim ad peccandum; non possum facere, ne id sciat Deus; sicut etiam supposito, quod determinârim me ad peccandum, non possum non esse determinatus ad peccandum, licet secundum suppositionem antecedentem, potuerim non exhibere Divinæ scientiæ hoc objectum, quod est meum peccatum.

OBJICIT. II. Arist. Quod existit determinatè, necessariò existit; sed futurum liberum per nos determinatè existit. Ergo necessariò existit.

RESPONDETUR. Quod existit determinatè secundum suppositionem antecedentem, necessariò existit; Secus si existat determinatè ex suppositione consequenti, seu ex suppositione sui ad se.

INSTABIS I. Scientia Dei est intrinsecè infallibilis, ergo non solum habet connexionem cū effectu ex suppositione consequenti, quia talis suppositio adhuc stare potest, ut res potuerit non esse.

RESPONDETUR. Res determinata ex suppositione Consequentis, potest adhuc non esse, si spectetur in suis causis, secus si spectetur in suppositione sui ad se, secundum quam suppositionem, infallibilis est per modum termini Scientiam Divinam.

INSTABIS II. Si verum est, futurum illud posse adhuc non esse, ergo adhuc non habet determinatam veritatem; quia nec determinatum esse.

RESPONDETUR. Cum ly posse non esse, verificetur tunc de illo effectu in causis liberis spectato, Concedo, quod in illis effectus liber, non habeat determinatum esse, nec determinatam veritatem.

INSTABIS III. Accedente tempore futuro, quo Petrus peccaturus, dicitur, rogo utrum Petrus possit non peccare pro suo libitu, an verò teneatur peccare: si tenetur, ergo non est liber: si potest non peccare, ergo propositio affirmans Petrum peccaturum, fuit vera ut supponitur, & simul falsa; quia non peccabit Petrus, quod est absurdum.

RESPONDETUR. Potest non peccare Petrus, nec tenetur peccare, sed inde non sequitur, quod non sit peccaturus, & cum ex suppositione consequenti sit peccaturus, habebit adhuc peccatum determinatam Veritatem.

OBJICITUR III. Veritas conflat ex actu & ex objecto ipso, ergo antequam illud objectum existat non potest esse Veritas.

RESPONDETUR. Illud connotatum objectum ab actu vero, non est necesse ut existat Physicè, sufficit ut existat intentionaliter; & quantum ad præsens attinet, sufficit ut futurum illud existat in aliqua certa differentia temporis.

INFERES. Propositiones de futuris esse in se veras, non verò ratione nostris, cum nos determinatè futuritiones istas, vel non futuritiones liberas, non attingamus.

QUÆSTIO III.

*De Veritate Futurorum liberorum
Conditionatorum.*

PRÆMITTO I. Ex Oviedo Contr. 7. Animast. pun: 6. *Futurum conditionatum dicitur illud, quod*

† Qq 4

quod

quod casu quod talis Conditiō ponatur, esset, siue talis conditiō ponenda sit siue non; & inde est quod dicunt Dialectici; Conditionalem nihil ponere in rebus, non enim importat, quod res sit, sed tantum importat, quod esset, si conditiō poneretur.

PRÆMITTO II. Ex eodem Quod dentur propositiones non solum de futuro conditionato, sed etiam de præterito & præsentī conditionato. v.g. Si ingressus fuisset Jacobus atrium Pontificis, negasset Christum, erit propositiō conditionata de præterito. Si ingreditur, negat, est propositiō de præsentī conditionato. Si ingredietur vel ingrederetur, negabit, est propositiō de futuro conditionato. Agitur tamen difficultas potissimum de Futuris, quantumvis, etiam reliquæ propositiones habeant suas difficultates.

PRÆMITTO III. Propositionem tam de præterito conditionato, quam de præsentī, quam de futuro, interdum esse purè conditionatam, interdum non esse purè conditionatam: purè conditionata est, quæ nihil ponit in esse; non purè autem conditionata est, quæ affirmat vel futurum esse, vel præsens esse, vel præteritum esse, si talis conditiō ponatur, & insuper virtualiter & implicite importat negationem aut positionem eventus propter defectum Conditionis.

PRÆMITTO IV. ex communi sententia. Propositiones conditionales quasdam constare conditione disparata, quasdam conditione proportionata, conditiō disparata est v.g. si Turca dormit, Papa orat. Conditiō autem proportionata erit, ubi dixerō. Si Turca petierit, Papa pro illo orabit. Propositiones illæ priores, seu quæ habent disparatam conditionem, cognoscuntur vi sola coexistenti ita ut sensus sit: Si Turca dormiet coexistet huic dormitioni illius, Oratio Papæ: posteriores verò conditionatæ, seu quæ habent conditionem proportionatam, habent sensum quodammodo illativum, ita ut ex petitione Turcæ, tanquam conditione, inferri quodammodo possit, Oratio Papæ: Cæterum si etiam Deus faceret decretum, ut si ponatur dormitio Turcæ, ponatur Oratio Papæ, tali suppositione data, vi etiam illationis, vera erit illa conditionalis; benè enim ex hoc decreto alligato illi dormitioni, tanquam conditioni, inferretur Oratio Papæ.

PRÆMITTO V. Propositiones Conditionales, quæ sensum habent quodammodo illativum interdum constant Conditione, necessaria; v.g. Si animal est rationale, risibile erit: interdum constant Conditione impossibili v.g. si equus esset rationalis, risivus esset: interdum constant Conditione quæ sit aliquo modo causa & conditiō requisita consequentis; quantum est ex vi causæ, & illius Conditionis, possit non sequi consequens.

PRÆMITTO VI. Quantumvis aliqua Conditionales sint veræ in sensu illativo, illatio tamè hæc non est illatio vi formæ, & legitimæ deductionis: quia si esset hoc illatio vi formæ & legitimæ deductionis, semper teneret, & in omni subiecto est

enim regula Dialectica. Consequentia quæ semel est bona. Unde si vi legitimæ deductionis teneret hoc consequens; Petrus si ingressus fuerit atrium Pontificis, Christum negabit, teneret etiam in hoc subiecto, si Joannes ingressus fuerit atrium Pontificis, Christum negabit quod falsum est. Quod ulterius in hoc resolvitur omnis illatio supponit necessarium aliquo modo connexionem consequentis cum antecedenti, quæ quia hic non habetur non erit illatio vi formæ.

PRÆMITTO VII. Censere omnes quod ut de objecto Conditionato, infallibiliter procedat scientia, tunc ex parte Conditionis, debet poni totum id, quod requiritur tanquam principium ad effectum conditionatum requisitum.

PRÆMITTO VIII. In hoc esse difficultatem, An inter Conditiones prærequisitas ad cognoscendum infallibiliter effectum liberum conditionatum, sit etiam decretum DEI necessarium, quo dicat v.g. Deus, Volo si?

PRÆMITTO IX. Quod nostri Doctores cum sentiant hoc decretum non esse necessarium ad cognoscendos effectus liberos conditionatè futuros, immo censeant illud esse destructivum libertatis nostræ, admittunt nihilominus, cognosci hæc futura in se ipsis, seu ex supposita determinatione voluntatis.

PRÆMITTO X. Quantumvis nostri Doctores non agnoscant formari à Deo ullum decretum de ipso effectū conditionatè futuro, censeant tamen formari à Deo decretum de dandis prærequisitis ad agendum, de quibus dixi Præmissio I. ut v.g. de exhibendo concursu, de danda gratia, si sit effectus supernaturalis; ut post alios docet Martinon Disp. 5. n. 160. prima parte citans pro se Suarez. Dicitq; hanc esse communem nostrorum Doctrinam. Nectamen est hoc decretum absolutum, quia & tolleretur libertatem, & potius fundaret scientiam visionis, & esset improporionatum; quomodo enim de futuro conditionato quod nunquam futurum est, potest dari decretum absolutum, quantum est ex parte Actus. Vide Fulgen. Suavis Concordiæ Disp. 4. Sect. 2. n. 1. His præmissis

DICENDUM est. Propositiones de objecto libero conditionatè futuro esse veras determinatè. Ita omnes nostri & primus Fonsæca lib. 6. Metaph. post eum, Molina lib. 1. de Concordia gratiæ cum libero arbitrio, Disp. 14. & 1. parte q. 14. à 13. Adferentur probationes merè ex locis Philosophicis. Hinc

PROBATUR I. Ex principio Metaphysico. Quodlibet est aut non est illæ propositiones quæ habent determinatum esse, habent determinatam veritatem, cum ipsius Esse passio, sit veritas; Sed propositiones de futura Conditionato Libero, habent determinatum Esse, ergo & determinatam veritatem. Minor prob. Petrus si vocatus fuerit, ut converteretur, aut non converteretur. Ergo propositiones de futuro Conditionato

naro Libero, habent determinatum Esse, habere enim v.g. Esse, vel non Esse conversi Si, est habere esse vel non Esse determinati Si. Antec prob. quodlibet est aut non est. Ergo & Petrus Si vocatus fuerit aut converteretur aut non converteretur.

PROBATUR II. Ex principio Logico. Ex duabus Contradictoriis alterutra debet esse vera: hæc propositiones: Si vocaretur Petrus converteretur, & Si vocaretur Petrus non converteretur, sunt propositiones de futuro contingenti libero conditionatæ & contradictoriæ, ergo alterutra illarum necessario est vera.

PROBATUR III. Tum quia in instanti quo Petrus vocatus convertitur, vera est hæc propositio. Petrus vocatus convertitur, est enim conformis objecto, ergo etiam antea vera erat propositio. Petrus si vocatus fuerit converteretur Prob. Conseq. quia propositio conditionata, totum id, & de eodem objecto enuntiat, quod & absoluta, excepto modo enuntiandi; ergo si absoluta propositio in statu absoluto est vera, etiam conditionata in sensu conditionato erit vera, licet alio modo enuntietur.

IDEM. Sic proponi potest: Supponamus quod hæc propositio sit vera. Petrus convertitur, debet esse etiam vera hæc, Petrus vocatus convertitur, quia propositio semel vera, semper respectu ejusdem instantis à propositione importati, est vera; ergo ulterius vera erit etiam hæc propositio, si vocatus fuerit convertetur, solo enim statu hæc propositiones differunt, seu modo enuntiandi, habent autem idem objectum adeoque eandem veritatem: consequenter si eandem veritas, licet alio modo enuntietur, erit semper vera propositio, licet alio modo formetur. Tum quia supponamus poni Conversionem Petri vocati, hoc supposito Vera est determinatè hæc propositio; Petrus vocatus convertitur est; ergo falsa fuit determinatè illa, Petrus si vocatus fuerit non convertetur, idem enim de-

terminatè negat, quod prior affirmat, Ergo hæc propositio, si Petrus vocatus fuerit convertetur, determinatè fuit vera antecedenter, siquidem illa altera, determinatè fuit falsa. Tum quia si Deus talia non noscit, deberet dicere Nescio, sed quæ proponibilis est legitime interrogatio Deo, cui omniscitivitas Divina, non possit satisfacere nisi per Nescio.

OBJICITUR I. Si vera esset determinatè una propositio Conditionata de effectu futuro libero, vera esset propter bonitatem Consequentia, quod tamen nos negamus. Sequela probatur, quia veritas conditionalis apud Dialecticos sumitur ex connexionione Antecedentis cum Consequenti.

RESPONDETUR. Id docere Dialecticos de veritate conditionalium in materia necessaria, nam in Liberis, sufficit coexistentia eventus cum conditione Si.

OBJICITUR II. Objectum propositionis conditionatæ non existit determinatè, Ergo & ipsa propositio, non est determinatè vera.

RESPONDETUR. Objectum conditionatè si spectetur in suis causis non existit determinatè, sicut si spectetur in suppositione sui ad se.

OBJICITUR III. Si daretur determinata veritas talium propositionum, tolleretur libertas. Status enim ille conditionatus, antecedens statum absolutum, debet esse talis, ut ex eo inferri possit necessario effectus.

RESPONDETUR. Ex statu conditionato non inferretur necessario effectus, necessitate orta ex suppositione antecedenti, & habente se per modum causæ, sed esset ille effectus necessarius, ex suppositione consequenti.

COLLIGES. Quod noster intellectus, quando idem affirmat de contingenti conditionatè futuro, quod affirmat Deus, veram propositionem faciat, per ordinem ad objectum, licet non sit vera in ordine ad nos, eo quod per ordinem ad nos, careat certitudine.